

## MONAST. ETTENHEIMMUNST. ET WALDK. 199

fta in ipfo traditionis instrumento legitur apud Guillimannum, & in originibus Guelficis, ubi primo refertur Ruodharii eiusque coniugis Wisigardis traditio suæ hereditatis ad dominium S. Mariæ semper virginis Argentinenfis civitatis in marcha Ettenheim, quidquid ad ipsum locum pertinet. Tum narratur facta postmodum contentio inter consues illarum partium & familias, quæ pertinent ad monasterium, quod vocatur Waldkircha. Ruodharius cum sua coniuge Wisigarde Ruthardus nominatur in antiquis his monasterii rhythmis:

*Fundum cum silvis dat Ruthardus & Wisigardis,  
Dux cum uxore magno floruerunt honore.*

Creditur vero is ipse esse Ruthardus, de quo diximus supra, fundador Schwarzacensis etiam & Gengenbacensis monasterii, ubi cum altera uxore sua Irmensinde sepultus dicitur in chronico Gengenbacensi apud Lunigium, nominaturque in necrologio Schutterano: *Ruthardus illustris dux & fundador multarum ecclesiarum.*

Ad foundationem autem Ruthardi referunt Ettenheimenses fodales locum ipsum, in quo monasterium situm est, cum adiacente ei curia dominica, aliisque omnibus, ex quibus pagus *Munsterthal* excrevit, villa *Dorlinbach*, villa monachorum (*Münchweiler*) & *Schweighausen*, ubi scilicet coloniarum paullatim fuere inductæ, atque excisis silvis terra cicurata in marcha illa, Ettenheim: de quibus in testamento Ettonis nulla esse potuit mentio, utpote terris postea primum cura monachorum excultis. Iam vero ineunte seculo X. agros loco ac monasterio Ettenheimensi fuisse propinquos, palam faciunt ipsæ illæ invasiones familiarum, quæ pertinent ad monasterium, quod vocatur *Waldkircha*, ut patet ex placito illo provinciali an. 926. sub Burchardo Sueviæ duce & Bernoldo comite, in publico mallo, in oppido quod dicitur *Chincibdorf* coram cuncta frequentia populi utriusque provinciarum tam *Mortinaugiæ* quam *Brisigaviæ* &c.

Burchardus, Erchangero duce cum fratre eius Berchtoldo decollatis, ut ad annum 917. testatur Hermannus Contractus, factus dux Alemanniæ, eodem teste an. 919. Rudolphum Burgundiæ regem prostravit. Qua victoria elatus imperium Henrici regis detrectare in animum induxit; sed quum se nihil proficere cerneret, tandem Wormatiæ regi obsequium præstitit. Ducis sui animositatem imitatæ sunt familiæ ad monasterium Waldkirchense ex donatione Burchardi pertinentes, ut in prædicta charta narratur: *videntes, quod illarum terrestres dominus Burchardus valde elevatus est per potentiam huius mundi, pari consilio irruentes in hereditatem S. Mariæ, proxima loca, quæ adiacent monasterio*

*Et-*